

ARCHIATRO COELESTI, DEO, DUCE  
**DISPUTATIONUM**  
MEDICARUM DE SPECIALI  
DIGNOTIONE ET CURATIONE

Morborum tenuis corporis humanie:  
quæ est

DE  
**C A T A R R H O**

QUAM

Sub PRÆSIDIO

*Clarissimi & Experientissimi Viri*

DN. JOHAN. RUDOLPHI  
SALTZMANNI ARTIS MEDICÆ DOCTO-  
ris Experientissimi, Poliatri fælicissimi, Inclytæ Argen-  
tinensium Academiæ Professoris celeberrimi,

Præceptoris sui omni observantia  
cultu prosequendi.

*Publicæ Philippiæ censuræ submittit*

JOHANNES DEETZIUS TORGEN-  
SIS MISNICUS,

*Mense Martio.*

ARGENTORATI,  
Typis NICOLAI WYRIOT.

*Anno M. DC. XX.*



AMPLISSIMI ET  
PRUDENTISSIMIS VIRIS  
DOMINIS CONSULIBUS, PRÆTORIBUS,  
totiꝝ; Senatui Civitatis Torgensis, Fau-  
toribus ac Promotoribus, summo  
observantiæ cultu æternūm  
prosequendis.

*Hasce de Catarrho Theses*

*debitæ gratitudinis ergò*

*dicat  
dedicat  
consecrat*

JOHANNES DEETZIUS  
Autor & Respondens.

Σὺ Θεῶ

DISPUTATIO MEDICA  
DE  
CATARRHO,

*Respondente*

JOHANNE DEETZIO Torgensi Misnico.

THEISIS I.



Aput nostrum meritò præ reliquis Corporis partibus in loco excelsiore & sublimiore situm est, tum propter oculos, tum quod propter hos Cerebrum contineat, in quo subtilissimi Spiritus, pro sensu & motu totius Corporis generantur, & perficiuntur, ut sit quasi specula totius Corporis, Unde impendentia mala avertere, grata autem & salutaria appetere & consequi possumus.

2. Quia autem propter continuam dissipationem & fluxum nulla est vel minima Corporis humani particula, quæ nutritione non egeat, Cerebrum etiam, homini quidem maximum, plurimo opus habuit alimento.

3. Nutritio autem hæc facultatibus perficitur attrahente, retinente, alterante & superfluum expellente. Quibus si uni vel omnibus insigne aliquod erratum contingat, nutritionem quoque vitiari necesse est. Unde vitiata nutritione, Cerebri actiones nobilissimæ depravantur, atque excrementum copiosum inibi generatur, hocque si in Cerebro retineatur, ipsi capiti laborem facit, morbosque diversos procreat, juxta Hipp. l. de glandul. deorsum verò si fluxerit, non solum partibus, per quas fluit, molestum est, verùm etiam universum corpus morbis obnoxium reddit.

A 2

4. Cum

4. Cum itaque secundum Galenum & Hippocratem Catarrhus multorum morborum Causa est: immo omnes ferè morbos à Catarrho seu destillatione oriri, divinus Plato in Timæo testetur, placuit de hoc Theses quasdam hoc præsertim tempore, quo & frequentissimus, & infensissimus esse solet, proponere.

5. Cum verò Cicero l. 1. officior. omnem, qui cum ratione suscipitur tractatum, à definitione proficiisci jubeat, Aristoteles etiam l. 2. post. Analyt. c. 14. t. 18. illam principium omnis cognitionis statuat, meritò summa cum diligentia ea investiganda erit.

6. Cumque apud eundem Philosophum eod. 2. post. Analyt. c. 10. t. 9. & 10. duplex statuatur. ὀνοματέδης nominalis & ὀντογνωμόδης realis, idcirco nominalem seu nominis explicationem prius investigabimus.

7. Dicitur itaque Græcis κατάρρησις ή κατάρρησις, à DEFLUENDO, seu DESTILLANDO. Unde & Latinis DESTILLATIO, vel DEFUXIO vocatur, quin & Græcum Vocabulum longo jam Uso Latinum factum est. Catarrhi autem vox duplenter usurpatur; vel generaliter pro omni defluxione à capite ad partes inferiores, cuius species plures sunt, quas Galenus recenset l. 3. de sympt. Caus. c. 4. vel specialiter, pro una aliqua harum specierum, ea scilicet, quæ, ut idem Gal. comm. 3. aph. com. 12. loquitur, ex capite fertur ad Pulmonem per asperam arteriam: vel quæ in os defluit, hæc enim Communiter hoc generis nomen retinuit ex eodem Gal. 3. de sympt. Caus. c. 4.

8. Realem definitionem quod attinet, dicimus CATARRHUM IN GENERE ESSE HUMOREM EXCREMENTITIUM cum Paulo l. 3. de remed. c. 58. IN CEREBRO OB FACULTATIS ALTERATRICIS FRUSTRATIONEM COLLECTUM, AD PARTES INFERIORES DECUMBENTEM, ET VARIIS MODIS PARTES AFFICIENTEM.

9. HUMOREM dicimus, ad differentiam Vaporum & fuligini-  
num, quæ in Cerebro generantur vel ibidem Coacervantur. Ex-  
crementitium verò, propter humores alimentarios, per venas &  
arterias Cerebro Communicatos & in nutritionem Cerebri ab-  
eunt.

10. IN CEREBRO COLLECTUM ponimus, ut distinguamus  
ab alijs humoribus excrementitijs, in alijs locis Coacervatis, ut  
Exempli gratia, à bile flava, quæ in propria sua vesicula colligitur,  
ibiique

ibiique aliquandiu retinetur, atque statuto tempore ad intestina descendit, & excernitur, quæ Catarrhus tamen non vocatur.

II. OB FACULTATIS ALTERATRICIS FRUSTRATIONE, non quod omnino dejecta sit, ut nihil amplius digerat, sed quod vel Cerebri intemperie impedita, munus suum non perficiat: vel materiæ copia obruta, eam, etsi per se valida, evincere non possit: Unde necessariò superflui humores, & excrementa generantur, & colliguntur.

12. AD PARTES INFERIORES DECUMBENTEM: sic enim Avicenna cursum vocat materiæ à Cerebro, atque verè Catarrhus à Gal. 3. de Sympt. caus. c. 4. & ab Aetio tetrabibl. 2. serm. 3. c. 53. fluor, à Plinio lib. 1. c. 2. influxio dicitur: dum enim in Cerebro detinetur, Catarrhi nomen non meretur. Ubi itaque delabitur vel cum descendit molestus est, vel cum in parte aliqua colligitur, malum aliquod Causat, vel etiam utroque modo Corpus afficit, qui enim citra molestiam delabitur, huc non pertinet.

13. Ex data definitione colligitur CATARRHUM ESSE QUID PRÆTER NATURAM: Cum autem tria sint, quæ Corpori nostro præter naturam accident, Morbus sc. Causa, & Symptoma ad quod nam horum referendum sit, genus, nobis in definitione possum, declarat.

14. Dicitur enim EXCREMENTUM, ex quo ad Symptomata & horum quidem tertiam speciem, exrementorum scilicet vitia pertinere patet, tum ratione substantiæ, quia humor est præter naturam, tum ratione excretionis, non enim excernitur eo, quo deberet modo.

15. LOCUS etiam AFFECTUS ex eadem definitione patet, & duplex est, PARIS scilicet MANDANS, ipsum Cerebrum ex Gal. 1. 3. de Caus. Sympt. c. 4. & PARS RECIPiens, Una videlicet, vel plures, ex partibus inferioribus, seu infra Cerebrum sitis: Cum enim nunc hanc, nunc illam, unam vel plures petat, certa definiri hic nulla potest.

16. CAUSÆ CATARRHUM EFFICIENTES, sunt ~~exogenal~~ apertæ seu evidentes, vel externæ, & ~~exogenal~~, vel internæ dictæ, quæ iterum duplices, vel antecedentes, totius nomen apud Græcos retinentes, vel ~~covenientia~~ conjunctæ.

17. Causæ ~~ad apud me~~ seu evidentes dictæ, sex res sunt non naturales vocatæ, ut est primum aëris & aliorum extrinsecus occurrentium constitutio humida, caliginosa, crassa austrina, ut quæ Cerebrum nimia humiditate perfundit: frigida tum Cerebrum refrigerando, generationi hujusmodi humorum occasionem præbet, tum constringendo, humores in Cerebro contentos exprimit: calida eosdem fundit & quasi eliquat. Cibi & potus ingurgitatio nimia, usus eorum, quæ humiditate plurima Cerebrum irrigare possunt, Vaporibusq; id ipsum replent. Motus & exercitiū Corporis vel minimum, aut nullum, vel nimium, & intempestivum. Somni Meridiani *Cels.* l. i. c. 10. & naturæ modum excedentes *Id. l. i. c. 3.* Balnea *Ibid. c. 10.* coitus immodicus: Animi παθητικα: longa mora sub Luna *Cels. l. i. c. 4.* & Sole: Item studia continua *Idem ibid. c. 2. &c.* à quibus Cerebrum debilitatur, & à statu suo naturali dejicitur, unde hujusmodi exrementorum generationi ansa præbetur.

18. ANTECEDENTES seu ~~ad apud me~~ imprimis sunt humida Cerebri intemperies, Calida vel frigida, humorum abundantia & Cerebri repletio, Cacochymia & humores similes exrementitii, vel vapores, à quacunque Corporis parte sursum elevati, & in capite aggregati.

19. CONIUNCTA seu PROXIMA Causa, est ille ipse humor, in Cerebro collectus, & jam defluens, atque ad partes inferiores properans.

20. Ad Causas antecedentes refertur etiam robur vel stimulatio & irritatio facultatis expultricis, partis mandantis ipsius scilicet Cerebri, vel retentricis ejusdem imbecillitas, aut aggravatio nimia, ab humoribus exrementitijs causata.

21. EXPULTRIX Cerebri facultas stimulatur, cum humores & quantitate & qualitate molesti sunt, ita ut Cerebrum amplius eos ferre non possit. Unde facultas insurgit, ut robusta satis id quod sibi molestum & noxiū est, excutiat, & à se expellat, atque sic partem ab onere, quo ante premebatur, liberet.

22. RETENTRIX, aut ob intemperiem, vel alium aliquem Cerebri morbum, debilitata, aut nimia humorum exrementitorum copiā pressa, & gravata, non modo expultrici facultati non resistit, sed ab actione sua cessans liberum humoribus defluxum largitur.

23. Membrum

23. Membrum quin etiam recipiens huic malo causam præbere potest, idque variis modis, vel enim ratione propriæ & naturalis constitutionis, vel ratione affectus alicuius præter naturalis.

24. Ratione propriæ & naturalis constitutionis, defluxioni & Catarrho ansam præbet, quod vel inferiore aliquo Corporis loco situm, vel quod eum in finem à natura datum sit, ut excrementorum receptioni inserviat, ut sunt glandulæ post aures, parotides dictæ, sub axillis, ad inguina.

25. Ratione affectus alicuius præter naturalis destillationem causari potest, cum vel intemperie insigni, calida potissimum laboret, vel dolore vexatur ingenti, vel alia aliqua ratione debilitatum & labefactatum fuerit.

26. Calor enim partis alicuius ingens & inflammatio, cucurbitulæ instar trahit ad se, non sanguinem modò ex toto corpore juxta Gal. com. aph. 1. sect. 7. sed & humores alios, eos præsertim, qui jam ante fluere parati sunt & in parte aliqua superiore consistunt, eiisque molesti aut sunt, aut esse incipiunt.

27. Dolor quin etiam, teste eod. Galeno, & ipsa experientia quotidiana id approbante, à partibus vicinis, atque si vehemens sit, à distantioribus quoque, ijs potissimum, qui & humoribus abundant, & ijsdem gravantur, atque eosdem expellere paratæ sunt, attractahit.

28. Debilitas, & labefactatio partis recipientis, et si quidem per se defluxionis causa non sit, ut tamen in hanc vel illam partem ea decumbat, occasionem præbet, ea autem vel à prima dependet origine, & prima statim conformatio, vel alio aliquo affectu præter naturam introducta est, ob quam humor affluenti resistere nequit, sed eundem necessariò recipit, donec vel naturæ, vel medicamentorum beneficio ab eodem iterum liberetur.

29. Partes etiam per quas ruit Catarrhus non parum faciunt ut & defluat & in hanc vel illam partem decumbat humor, quò enim patentiores & laxiores sunt viæ & meatus, quò etiam magis recto, vel minus obliquo ductu & decliviores feruntur, eò promptius per ea transit materia, & humor excrementitius.

30. Atque hoc Catarri seu defluxionis vocabulum unicum licet sit, & unicum tantum affectum denotare videatur: est tamen re

ip

ipsa varium & multiplex, eò quod plures sub se comprehendat differentias. DIFFERENTIAS à Loco desumptas Hipp. l. de glandulis septem numerat, dum dicit, fluxiones de capite usque ad secretiōnem contingunt, per aures secundum naturam, per oculos, per narēs, atque hæ tres sunt, & aliæ per palatum in guttur, & ingulam, & aliæ per Venas in spinalem medullam & in sanguinem, quæ omnes septem numero existunt, ex quibus tres priores huc non pertinent, siquidem præter naturam non sint, sed ut ipse loquitur, Cerebri forðes & purgamenta discedentes existunt, & si non discesserint, morbus inde oboritur, quibus tamen & quarta annumerari potest, si scilicet per os reiiciatur: Ubi verò ipse humor aliquo modo peccārit, omnes simul præter naturam erunt.

31. DIFFERENTIAS à Loco desumptas Hipp. l. de glandulis septem numerat, dum dicit, fluxiones de capite usque ad secretiōnem contingunt, per aures secundum naturam, per oculos, per narēs, atque hæ tres sunt, & aliæ per palatum in guttur, & ingulam, & aliæ per Venas in spinalem medullam & in sanguinem, quæ omnes septem numero existunt, ex quibus tres priores huc non pertinent, siquidem præter naturam non sint, sed ut ipse loquitur, Cerebri forðes & purgamenta discedentes existunt, & si non discesserint, morbus inde oboritur, quibus tamen & quarta annumerari potest, si scilicet per os reiiciatur: Ubi verò ipse humor aliquo modo peccārit, omnes simul præter naturam erunt.

32. Sic autem, inquit idem ibidem, & reliquo corpori aliqui morbi accedunt, si intrò abierint ac discesserint hæ fluxiones & non forās, hoc est, ubi extra corpus expelluntur, cum sint humores corpori inutiles, citra noxam hoc fit, cum verò in partes interiores decumbant, non possunt non varijs modis idipsum afficere, & molestare.

33. PRIMÙM itaque DE FLUXIO DECUMBIT VEL IN PARTES EXTERNAS, VEL INTERNAS, neque huic obstat locus Hipp. mox citatus, et si enim in partes externas humorem decumbere dicamus, non tamen propterea forās & extra Corpus eundem excerni statuimus, manet enim & consistit in partibus affectis, circumferentiam magis, quam centrum Corporis occupantibus, & variorum malorum causa est.

34. INTERNAS partes quod attinet, irruit malignus humor in nervorum origines, & Apoplexiā, Paralysiā, stuporem, tremore &c. excitat: In sensuum organa, cæcitatem, suffusionem, surditatem, tinnitus aurium, odoratusque privationem: in nares Galeno κορύζων. Cels. l. 6. c. 2. gravedinem, Polypum gignit. Ad Laryngis musculos & Trachæam, βεγγέχον raucedinem: in gurgulionem σαφυλλή uvulam: glandulas ad finem oris sitas, ἀντίσταση sicut & παιέδμια & exulcerationes

tiones parit: ad musculos faucium, & gutturis *κυνάγχην* anginam: in Pulmones tussim, Asthma, Orthopnæam, Phthisin: in Ventriculum cruditates, *ἀνορεξίαν* &c: in intestina diarrhæam, dysenteriam, tenes-  
mum causat. Hipp. l. de glandul. de loc. in homine.

35. RATIONE PARTIUM exteriorum, si in Oculos irruit, oph-  
thalmia, Epiphora, Caligo oritur: si in maxillas, dolor dentium: si in Cervicem, scapulas & brachia, spasmi exteriorum membrorum, re-  
solutiones artuum: si in lumbos, coxendicem, & artuum extremita-  
tes, Ischiadicus dolor, Nephriticus, Arthritis & Podagra causatur.

36. RATIONE MATERIAE differt Catarrhus, quod alias ori-  
tur à materia crassa, alias à tenui, alias à calida, alias à frigida, alias  
ab humore simplici, ut pituita, bile flava, bile atra, sanguine, alias à  
duobus vel pluribus commixtis.

37. A CAUSA etiam EFFICIENTE DIFFERENTIAE  
SUMUNTUR, ea enim vel est interna, vel externa. Si à causa interna,  
vel à vitio Cerebri proprio provenit, vel ob errorem inferiorum par-  
tiū oritur: si ab externa juxta sex res non naturales differentiae  
oriuntur.

38. Atque hæc de causis & differentijs breviter dicta sufficient,  
sequitur ut ad signa accedamus.

39. SIGNORUM enim tanta est in Medicina vis, & prærogati-  
va, ut sine ijs curatio commode & rectè institui nullo modo possit;  
Unde, si quid aliud, diligenter consideranda veniunt: suntque du-  
plicia *διαγνώσιν* præsentium demonstrativa, & *προγνώσιν* futuro-  
rum indicantia.

40. *Διαγνώσιν* duplia sunt, vel in genere affectum ipsum de-  
monstrant, vel in specie ipsum humorem & partem etiam affectam  
denotant.

41. AFFECTUM IPSUM IN GENERE, demonstrantia, ab ipso  
ægro, simpliciter, absq; Circumstantijs, aut loci, seu partis affectæ,  
aut alterius alicujus descriptione desumuntur, quatenus scilicet pa-  
tiens fluxionem sentit, & de materia motu conqueritur.

42. IN SPECIE sumuntur signa *διαγνώσιν*, à loco, materia &  
efficiente.

43. A Loco, pro varietate spatij per quod fluit; & loci ad quem  
fluxio fit à capite, diversa ac varia signa indicantia oriri solent.

44. SPATIUM PER QUOD, si humor per oculos, per aures, per nares, vel per palatum fluat, patiens declarabit.

45. Ubi per Oesophagum, è nausea & vomitu: per asperam arteriam, è screatu, difficulti respiratione & tussi: si per nervos, à dolore & nervorum vitijs: si per Venas, è tumore partium inflammatorio, Cachexia: sin per arterias, è pulsu molli & inæquali, modo frequenti, modo raro, prout humor aut calidior aut frigidior extiterit, Medicus exercitatus & diligens judicabit.

46. LOCUM AD QUEM fluxio fit, ab actione læsa, doloris proprietate, situ seu positu, proprijs Symptomatis, & ab excretis discernere licet. Gal. l. 1. de loc. aff. c. 5. Hipp. l. de glandul. l. de loc. in homine.

47. A MATERIA an humor sit pituitosus, sanguineus, biliosus, an Melancholicus, cognoscitur ex Colore & alijs signis cuilibet humori propriis: de quibus in præcedentibus disputationibus aliquot actum. Item an sit crassus, latus, viscidus, glutinosus, tenuis, hujus vel illius odoris, saporis, Medicus ex relatione patientis facile judicare potest: quantitatem etiam ejus vehementia major vel minor declarabit.

48. A CAUSA EFFICIENTE tam intrinseca, quam extrinseca sumuntur differentiae.

49. Si ab intrinseca, an ob Cerebri caliditatem fiat, à signis caliditatis, utpote capitis calore & dolore, facie oculisque rubentibus, decumbente humore acri, fauces exasperante, ac interiores partes oris, naresque exulcerante, à falso sapore, inappetentia, siti, febri & urinis magis coloratis.

50. Si causa fuerit frigida, ex signis his contrariis, nempe Capitis gravitate & frigiditate, faciei pallore, sopore, pigritia, mentis torpore, visu solito caliginosiore, auditu hebetiore, & urinis crudioribus desumuntur.

51. Præterea an lædantur à calidis vel frigidis, de Cerebri etiam temperatura conjecturam facimus. Ad hæc, an fiat proprio Cerebri vicio, an verò à parte aliqua vapores in Cerebrum mandante, percipitur, si nulla, vel alia aliqua pars laboret, ut alias etiam dictum fuit.

52. CAUSAM EXTERNAM quod attinet, ex relatione infirmi & patientis, vel astantium percipimus, an nimirum diu commoratus fuerit

fuerit in aëre calidiore, frigidiore, vel humidiore, quâ diæta reliquæ usus, & si quæ in eâ vitia commisit.

53. Hæc de signis demonstrativis. PROGNOSTICA quoque SIGNA tūm in GENERE, tūm in SPECIE à Medico necessariò sunt consideranda.

54. IN GENERE, quatenus Catarrhus omnium ferè morborum quasi mater, satis periculosum est vitium, atque quod semel aliqui parti impactum & infarctum, raro vel difficulter plerunque cedit.

55. IN SPECIE verò considerantur etiam, ut *diagnosmæ* vel à Loco, vel à MATERIA, vel à CAUSA EFFICIENTE.

56. 'A Loco ratione spatii per quod, minus periculosus est Catarrhus, si per partem aliquam exteriorem, nares præsertim vel os descendat, peior si per Oesophagum, pessimus cum per fauces & Trachæam seu asperam arteriam.

57. Sic quando per vacuitates membrorum, medio modo se se habet: si per venas & nervos, periculosior: si per arterias, periculosissimus & pessimus, quia non raro Syncopen inducit. *Galenus* 12.  
*m.m.c.5.*

58. Ratione termini ad quem, consideranda est dignitas loci ad quem fluit: quò enim hic dignior est, eò majus etiam periculum æstro imminet: Si enim ad nares, levis destillatio & Catarrhus censetur, si ad fauces & ad Trachæam pejor: si ad pulmones, Cor &c. pessimus & periculosissimus censetur, *Cornel. Cels. l. 4. c. 2. Hipp. l. de glandul.*

59. 'A MATERIA, atrabilarius omnium pessimus est: biliosus non ita sanguinolentus adhuc minus, pituitosus omnium minimè periculosus censetur: Nisi simul quantitate excedat, quò enim hæc major est, eò etiam magis periculum augetur.

60. Sic qualitas, ratione Odoris, Saporis, & Consistentiæ, quò plus à naturali statu recedit, eò etiam pejor censetur.

61. 'A CAUSA EFFICIENTE Prognostica quoque sumuntur, si enim fuerit intemperies Calida, pejor censetur Catarrhus, quò hæc fortior & major fuerit; si frigida fuerit & habitum contraxerit, destillatio ferè censetur incurabilis. Sic si ob causam externam acciderit, modo non diu duraverit, levis judicatur esse Catarrhus & facilis curationis.

62. Hactenus de definitione, differentiis, Causis & Signis breviter, sequitur ut ad ipsam *διεργατικῶν* seu Curationem accedamus, quā et si quidem affectus, qui actionem vitiat, ut *Galenus* loquitur *l.m.m.* c. 9. qui morbus est, desideret, non tamen hæc ipsi Symptomati, quatenus majus adhuc malum causari potest, neq; etiam causæ derogatur. Cum enim ex *4. m.m.c.3.* Curatricis Medicinæ partes duæ sint differentiæ, præsentium scilicet morborum curatio, & nondum factorum præservatio, hæc postrema potissimum his duobus competit, causæ quidem per se, Symptomati verò, quatenus & hoc causæ rationem induit.

63. CURATIO autem omnis, monente eodem *4. m.m.c.4.* ab indicatione inchoanda, siquidem eius, quod agendum est, insinuatio sit *2. m.m.c.7.* Indicationes autē à pluribus desumuntur, primum quidem ab ipsa rei seu affectus natura, nisi hic à sua adhuc causa foveatur, tum enim ex *5. m.m.c.1.* primum ipsi causæ medendum, post adipsum affectum est deveniendum, consideranda postmodum pars affecta, ægri natura, vires, ætas, anni tempus, & si quæ sunt alia. Nostamen missis reliquis, cum de iis aliâs etiam actum sit, eos saltē observabimus, quæ ab ipso AFFECTU, ejusque CAUSA & SUBJECTO desumuntur.

64. AFFECTUS autem ipse cum præter naturam sit, sui ablationem indicat, quæ generalis est indicatio, omnium eorum, quæ præter naturam sunt. At ablatio hæc variis modis, viam nobis monstrantibus ipsis indicationibus, perficitur.

65. Diximus autem destillationem seu Catarrhum esse humorum excrementitium, quia aut SUBSTANTIA, aut QUANTITATE, aut QUALITATE aut MOTU peccat, unde quadruplex oritur indicatio.

66. A SUBSTANTIA quæ desumitur, aut correctionem aut ablationem significat: hanc quidem, si èd usque corrupta & putrida sit, ut mitigari amplius & in statum naturæ magis familiarem, vel minus molestum, reduci nequeat.

67. Correctionem verò, si hanc adhuc admittat, & vele èd usque corrigatur & emendetur, donec naturæ amicus fiat, vel saltē, ut si hoc fieri nequeat, omnimodæ excretioni & remotioni èd promptius cedat.

68. Crassa

68. Crassa itaque si fuerit, attenuanda erit, si tenuis incrassanda, si viscida, incidenda, vel detergenda &c.

69. A QUANTITATE desumitur indicatio auferendi, cum enim abundantia peccet, hæc verò alio modo perfici nequeat, utique ablatione ei medendum etit.

70. A QUALITATE, in genere unica etiam desumitur indicatio, in contrarium scilicet deductio seu alteratio: in specie vero plures sunt, pro ratione qualitatum, quibus peccare humor solet.

71. Nam si materia fuerit frigida, Calefacienda, si calida, refrigeranda, si acris & salsa, mitiganda.

72. A MOTU seu fluxu indicatio oritur vel à parte mittente, vel recipiente, vel transitum largiente. A parte quidem mittente, cum humor sit excrementius, neque in parte detinendus, & fluere jam aptus, evacuandus, & vel purgatione vel derivatione, quæ etiam ratione partis recipientis fieri solent.

73. At ratione partis seu viæ, per quam fluit, revulsio vel interceptio indicatur: quod si enim ad partem aliquam nobiliorem, & insigniorem tendat materia, per aliam avertenda & revellenda, sin hoc fieri commodè non possit, intercipienda.

74. A CAUSA EFFICIENTE quæ desumuntur indicationes, hujus vel ablationem vel correctionem, postulant: hæc si externa sit & Procatarctica, etsi quidem juxta Galen. 4. m. m. c. 3. nulla ab ea indicatio oriatur curativa, præservativa tamen desumitur, sui remotionem & ablationem indicat: si interna, per contrarium alteranda & immutanda.

75. A SUBJECTO cum triplex sit, MITTENS scilicet, RECIPIENS & TRANSITUM LARGIENS, indicationes variant. Pars enim mittens, si intemperata sit, corrigenda, & corroboranda ut & recipiens: pars vero transitum largiens, si patens nimis & laxa, constringenda, si alio modo vitiata, corrigenda.

76. Atque hæ sunt præcipuae indicationes, quæ, quid in CURATIONE agendum sit, nos commonefaciunt: hæc autem triplici remediorum genere perficitur, VICTU, MEDICAMENTIS & MANUALI OPERATIONE, quorum primum diauīlūm, alterum qapuanūlūm, & tertium xeroprymūm, θεραπευτικῆς Medicinæ partes absolvit.

77. Diauīlūm consistit in sex rerum non naturalium administra-

tione. Et primum quidem Aér ambiens sit temperatus, & pro causarum diversitate modò calidior, modò frigidior. Siccius tamen probatur ab Hippocrate l. 3. aph. 15. 'A Solis & Lunæ potissimum radiis liber Cels. l. 1. c. 3.

78. CIBI ET POTUS copia omnino improbatur. Hinc Avicenna cibi potusq; parcitatem initium curæ dixit. Et Celsus ad magis specifica descendens, à consueto cibo dimidium detrahendum esse monet.

79. In qualitate, pro ratione Causæ fluxum efficientis, ex analogia contrario modo respondere debet: sit concoctu facilis, boni succi & humoris noxio contrarius. Ut ubi siccandum, offerantur cibi similem facultatem habentes: Ubi humores sunt incrassandi itidem, in hoc verò Ova, Amylum, Amygdalæ à Celso probantur. Carnes potius sint assæ quam frixe.

80. Cæna sit parcius prandio, & ubi materia calida & acris fuerit, à vino prorsus abstinendum, & ejus loco vel Ptisana, vel aliud aliquid decoctū refrigerans usurpandum. Ubi verò materia frigida fuerit, pro ejus concoctione & alteratione vinum in parya tamen copia offerendum.

81. In calidis etiam & siccis temperaturis, & assuetis, ut per Urinam & sudorem evacuetur materia, cum Gal. l. 1. de san. tuend. possit concedi vinum sed probè dilutum.

82. SOMNUM ET VIGILIA M Avicenna radices Curationis Catarrhi vocat. Hinc plus vigilandum, & nequaquam interdiu dormiendum, nec replete Ventriculo, decubitus etiam non sit supinus, quia per hunc renes & Vena cava incalescant, ut hoc modo vapores copiosi caput petant, sed ad latera decumbendum.

83. Cum enim in Catarrho magis requiratur expulsio, quam concoctio, necesse est ut Vigilia somnum excedat juxta Versiculum:

*Esuriant, sitiunt, vigilent, qui rheumata curant.*

Per somnum enim fit concoctio, & repletio: per Vigilias verò distributio & inanitio.

84. Somnus nocturnus probatur ratione aëris & consuetudinis: ratione aëris, quia aér nocturnus magis favet motui ad centrum, diurnus verò magis motui ad circumferentiam, & proinde distributioni: ratione consuetudinis verò, quia homines consuevere noctu dormire,

dormire, & ita concoquere, mutata itaque consuetudine, virtus fatigatur.

85. EXERCITIUM, peracta concoctione, sit mediocre. Nam quemadmodum nimia quies exrementorum copiam gignit, ita quoque excedens motus, Corpus & caput plus justo calefaciens, humoresque liquans, Catarrhi causa esse potest.

86. INANITIONEM quoque utiliorem esse REPLETIONE, ex supra dictis constat, alius itaque levis sit, si autem natura defecrit, arte providendum balano, aut Clystere. Venus etiam, cum per eam multum spiritus & Caloris desperdatur & dissipetur, sit modica.

87. BALNEUM, cum inter excreta referatur, probatur ab Avicenna, in utroque Catarro, sed non semper. In frigido enim ante concoctionem eo non utitur, in calido autem probat, ut tamen cum sudore fiat, quod sic materia vitiosa evacuetur, & ad ambitum corporis deferatur.

88. ANIMI *natiuæ* sint moderata, fugienda tristitia, mæror, metus, ira & similia, quantum fieri potest, animus sit hilaris, & optima semper speret.

89. Quoad PHARMACIAM pro diversitate indicationum diversæ quoq; remediorum formulæ requiruntur, & sunt vel ALTERANTIA, vel EVACUANTIA, vel REVELLENTIA, vel DERIVANTIA, vel denique INTERCIPIENTIA, atque rationem habent vel universi, vel partis alicujus.

90. UNIVERSUM CORPUS, si in vitio sit, & humoribus sca- teat, id primùm expurgandum, medicamentis humoris peccanti accommodatis, ut si pituita abundet, pill. de Agar. Coch. fætid. assai- ereth. Elect. benedict. lax. Hier. Compos. Extract. Cnicopharm. Mell. ros. solut. Oxymel. Elleborat. Hæc tamen non nisi præparata, si opus fit, materia, Syr. de Beton. de Stachad. de Calamenth. Oxymell. vel simpl. vel Scyllit. & similibus, exhibeantur.

91. Si SALSUS & TENUIS fuerit humor, incrassandus & miti- gandus, Syr. viol. papav. diacod. vel decoct. simili. post expurgandus Syr. rosat. solut. Extract. Cnicopharm. Rhabarb. pill. Coch. Hier. c. agar. & similibus.

92. Si humor fuerit CALIDUS & CRASSUS, cum aliquo isto- rum, ut cum Syr. Violar. aliquod incidens & abstergens misceatur,

ut



ut Syr. acetos. vel Oxymel. simpl & aqua hordei, quæ potus Medicinalis est, & abstersiva: in calida autem destillatione potius decocta, quam Syrupi probantur, quia facile bilesunt.

93. Si BILIS FLAVA molesta fuerit, ea necessitate urgente primùm etiam præparanda, refrigerantibus, & si opus sit; incrassantibus, ut Syr. Violar. de Endiv. acetos. simpl. de succo acetos. aquis earundem herbarum & decoctis similibus: deinde expurganda Extract. Rhabarb. simpl. Syr. ex infus. rosar. de Cichor. c. Rhabarb. decoct. fol. senæ.

94. MELANCHOLIA quoque præparanda Syr. borrag. bugloss. Violar. aquis earundem. & similibus: purganda vero confect. hamech. Extract. tabul. Rhabarb. Compos. pill. indar. aggregat. Syr. diasereos &c.

95. Eadem etiam ratio observanda est, si PARS ALIQUA mali causam foveat, caput itaque exempli gratia, ut pars mittens, expurgandum pro ratione humoris peccantis, pill. Cochis hier. c. agar. auris, arab. Indis. Elect. de succ. rosar. Ind. diaturbith. c. Rhabarb. confect. hamech Syr. de Cichor. c. Rhabarb. diasereos &c.

96. Ante tamen purgationem, si opus sit, præparandus erit humor, ut si crassa sit pituita, Syr. de Beton. & aliis supraenarratis, & sic de reliquis humoribus, modò vehiculi gratia semper aliquid adjiciatur, quod partem affectam respiciat, atque medicamenti vires eò deducat.

97. Atque hæc de parte mittente. RATIONE verò DEFLUXIONIS revulsio potissimum locum habere videtur, cum enim per hanc vel ad ventriculum vel ad pulmones. vel aliam aliquam insignem partem delabatur, vel per os, vel nares materia educenda, ut ita partes subjectæ liberæ reddantur, & ab ejusmodi affluxu immunes sint.

98. Huic autem scopo inserviunt gargarismata. & parantur ex hyssop. salvia, Majorana, origano, sem. nigell. Mell. rosat. Syr. de Beton. aquis beton. flor. thiliae, primul. verr. succ. beton: in materia calida, tenui & acri, ex incrassantibus, refrigerantibus, mitigantibus, quæ ex superioribus peti possunt.

99. Huc etiam faciunt errhina, masticatoria, suffumigia, inundationes & similia, quorum tamen omnium sylvam reperire licet apud Practicos: unde pluribus ea hic enumerare nolumus.

100. Tandem

100. Tandem quoad partem recipientem, si ea sit insignis aliqua & primaria, vel saltem non sit emunctoria, revellentia convenire videntur: si vero adeo jam impacta sit materia, ut solis revellentibus non cedat, preparanda & disponenda est ante, post ad ea deveniendum.

101. Hæc tamen omnia pro varietate partis affectæ & humoris peccantis variant, quemadmodum in cuiuslibet partis affectuum curatione demonstrabitur, hic enim ea omnia recensere, ne in nimium hæc Theses excrescant, super sedemus.

102. Emunctorias partes quod attinet, si ad eas defluxio decumbat, revellentia locum non habent, ne hac ratione materiam à parte ignobilior retrahendo, ut ad partem aliquam nobiliorem fluat ansam præbeamus: si vero citra hoc incommodum fieri possit, non semper improbantur.

103. Tutius itaque est & conveniens magis materiam per partem affectam evacuare, vel discutientibus, & in halitum materiam resolventibus, vel si hoc fieri non possit, maturantibus, & materiam concoquentibus, atque in pus vertentibus.

104. Et licet quidem in hoc casu repercutientium etiam non raro usus esse soleat, ea tamen, si pars affecta primariæ & principi alicui vicina sit, locum vix habent, quod si vero remotior sit, & ignobilioribus vicina, atque affluxus ita impetuofus, ut metus sit, ne partis calore suffocato gangræna causa fiat, ad ea devenire necesse est, sed hæc potius ad externa & Chirurgica remedia pertinent.

105. Hisce omnibus peractis, & materia evacuata, partes iterum corroborandæ, ne vel ejusmodi materiam denuò producant, vel productam facile excipiant, quod sit partes ad naturalem temperiem, & statum, quantum fieri potest, reducendo, & confirmando, intemperiei & affectui contrariis.

106. Plurimum etiam ad hujus mali curationem conferre videntur SUDORIFERA, quibus si suo etiam modo corroborantia conjungantur & ratione evacuationis & ratione reductionis ad pristinum statum conducunt, præsertim si universum corpus humiditate ejusmodi excrementitia scateat: ita enim materia hæc in halitus resoluta, per poros cutis expellitur, & partes subjectæ liberantur, atque pristinas suas vires recipiunt.

C

107. Quod

107. Quod si verò pars aliqua, princeps præsertim, sicca intemperie laboret, non adēd tutā hæc sunt, nisi siccitati huic aliter mederi concedatur. Unde in hecta locum habere nequeunt, ut quod nimium exiccando eam adhuc magis augeant, & brevi in marasimum præcipent.

108. Parantur autem ea commodissimè ex ligno Indico seu Guajaco, Lentiscino, rad. sarsæ parilla, sassafras, Chinæ, quibusdam etiam Lignum Juniperinum placet, omnibus suo modo decoctis & usurpatis; modum autem & formam certam, cum certo subiecto destituantur, huic autem ea accommodata sit, hic non præscribemus, sed præsenti Medico eam relinquimus.

109. Præter hæc autem sudorifera, sunt adhuc alia, quæ in hoc casu aliquid præstare possunt, ut Theriaca, Mithridatum, Rob Sambucin. Juniperinum, Antimonium diaphoreticum & alia.

110. SUDOR autem post sumptum medicamentum elicetur vel in lecto, vel in stuphis vocatis. Quidam etiam varia suffumigiorum genera præparant, & corpus universum, vel partem maximè affectam suffumigando, materiam ejusmodi Catarrhalem exicare student. Ex his autem potissima & tutiora sunt, quæ parantur ex Mastiche, sandaracha, succino, Thure, styrac. calam. ros. rubr. ligno aloes, gall. & alipt. moschat. santalis, ligno Juniperi &c.

111. Quidam etiam corpus capite vel simili aliquo instrumento, exerto tamen capite, concludunt, & vel vino sublimato, in quo prædictorum aliqua infusa sint, vel decocto aliquo simili suffumigant & sudorem eliciunt.

112. CHIRURGICA REMEDIA cum plurimùm etiam hoc in casu possint, non sunt negligenda, ea autem vel evacuant, vel derivant, vel revellunt. Omnibus hisce scopis inservit una venæ sectio, hujus autem indicatio sumitur à sanguinis redundantia, morbi magnitudine, & virium robore, teste Galen. 4. m. m. c. 6.

113. Si itaque Catarrhus à sanguine superabundante fiat, si que plethora sit in universo corpore, secta vena nigra vel mediana proderit: si verò in capite solum coacervatus sit, Cephalicam tundere proficiet: si ex hepate & venis majoribus sursum ad Cerebrum ferratur, hepatica vel inferior aliqua aperta juvabit. Sunt qui eam, quæ magis conspicua erit & turgida, venam in brachio ferire consultius ducunt,

ducunt, quia ad hanc magis, quam ad aliam sanguinem ferri verisimile est.

114. Neque solum in sanguineo Catarrho, sed alio etiam quovis calido, vena secari potest, non tamen in frigido: quia Cerebrum partem frigidam, frigidorem reddit, & malum adhuc magis auget, humoresque frigidos accumulate facit.

III. QUANTITATEM SANGUINIS detrahendi vires nos docebunt, & ipsa etiam Plethora, semper enim & potissimum ad vires respiciendum, & curandum, ne haec nimium defatigentur & dejiciantur.

116. Tempus missionis sanguinis, à praesentia vehementioris urgentis desumitur. Hinc in sanguineo Catarrho omissa Pharmacia ad venæ sectionem properandum, in aliis si inducias malum largiatur, haec tantisper omittenda, donec evacuationia præcesserint.

117. Quod si non tam evacuationis, quam derivationis & revulsionis gratia sanguinem mittere volueris, diligenter prius attendas oportet, quæ nam vena parti laboranti sanguinem largiatur, vel quæ parti affectæ communicet. Nam, si venam, quæ nihil parti affectæ tribuit, nihilque communionis cum ea habet, incidas, affectæ parti nihil medeberis, & sanam etiam offendes.

118. Quod si venæ sectioni locus non est, hujus vicem CUCURBITULÆ cum scarificatione supplebunt.

119. Proderunt autem & haec potissimum derivationis, nonnunquam evacuationis ut & revulsionis gratia, affiguntur autem vel nuchæ, vel dorso, vel supra mammas, vel brachiis, vel in carpo, vel intra pollicem & indicem digitum, in externa manu, vel in metapedio, vel in suris, vel supra genua.

120. Nuchæ quidem ad derivandum humorē à Cerebro: dorso ab occipitio, & ubi ad pectus seu pulmones vel ventriculum decumbit: brachiis & ad pollicem, si ad axillas, vel etiam ad occiputum descendat: supra genua ad suras & metapodium, ubi renes, coxendix, genua inficiuntur: quin & extremitates aurium scarificare solent, ubi defluxio ad dentes decumbit, & cum cucurbitulae ibi affigi non possint, manibus partes scarificatae eò usque comprimendo trahuntur, donec sufficiens sanguinis copia extracta videtur.

121. CAUTERIA etiam hoc in casu non parum proficiunt, tūm

ad evanescendum, tum revellendum, tum etiam derivandum.

122. Variis autem locis inuruntur, pro ratione materiae consistentis, fluentis vel decumbentis, quemadmodum de cucurbitulis dictum fuit.

123. Applicantur autem suturæ Coronali, nuchæ, brachiis ad musculum deltoidem, supra & infra genua, & ad debitum usque tempus conservantur.

124. Differunt autem & ratione formæ, quod alia sint actualia, ubi candente ferro inuritur cutis, alia potentialia, ut sunt medicamenta causticam vim habentia, & hæc cutim inurunt & corrundunt, vel cum vel sine doloris sensu.

125. Sunt qui VESICATORIO primum applicato vesicam faciunt, eaque aperta globulum certo aliquo medicamento corroden- te desuper ligant, atque tam diu mutant, donec ulcerulum profundum satis videatur.

126. Ipsa etiam vesicatoria, nisi defluxio magna sit, interdum plurimum prosunt, derivationis potissimum gratia. Ut & frictiones partium, vel leves & dolorificæ ligaturæ pro ratione impetus & copiæ fluxionis, de quibus tamen omnibus copiosius partim actum est, partim imposterum adhuc agetur in curationibus morborum, à Catarrhis ortum ducentium.

127. Huc quoque pertinet SECTIO ARTERIARUM, INCISIO VASORUM IN NARIBUS &c. quæ tamen cum partim amplius non sint in usu, partim etiam rarissime adhibeantur, in præsenti eorum meminisse saltem sufficiat, atque sic Thesibus hisce nostris finem  
imponere liceat.

F I N I S.

AD

AD PRÆSTANTISSIMUM AT-  
QUE DOCTISSIMUM DN. RESPON-  
dentem, amicum meum singularem.

**Q**uam felix incedis in Arte, Oculissime DE ETZI !  
Fortia enim data sunt, scis, duo cruratibi.  
Quæ Medicum firmant, Galenus ut Angelus inquit:  
Est, ut veraferam, πειρα tibi atque λόγος.  
Sed dum precipitem sat agis curare Catarrhum,  
Corporis, Herculeo quem superas animo;  
En! superaste ipsum, sacrum Cerebrumq; Catarrhus  
Obsidet irrorans ambrosiā genium.  
Qui fluit à corde ad caput, à capite in calatum usque,  
A calamo ad varios refluit hinc animos.  
Quorum velpia sunt capita, aut male-sana. Cerebrum  
Non nullis etenim crassacoryza gravat.  
O quam communis multis, nec rara coryza,  
Quam tamen haud Medici pellere cura potest!  
Cur? quia Causa latet nonnunquam, quæ efficit illam,  
Quam sèpè ipse miser sponte fovet patiens.  
Hoc nulli quoq; absurdum videatur in ipso hoc  
Tempore, quo cuncta in deteriora ruunt.  
At verò nunc tam claro quòd Præside, clarè  
Clara struis DE ETZI, gratulor ex animo.  
Præses noster enim Galenus & Angelus alter,  
Artis Paeonia Sol solidumq; Sal est.

M. Joan. Carolus Rosenberg/  
Argentoratens. Med. stud.

I I.

**S**alsa Catarrhorum nubes quam Palladis arcem  
Hostili graviter colluvione premit:

Hanc

Hanc Duce SALTZMANN O, DE ETZI, dexterrime Phabi  
Miles, multiplici robore & arte levas.  
Illa equidem valido motu sublata retorquet  
Sponte in subiectas nubila aquosa domos.  
Sed quia conspirans arcis graviora minatur  
Damna secuturi subdita turbam ali:  
Dirimis hanc aquas litem, concussa resarcis  
Tecta, arcem reparas, nubila missa necas.  
Né ve quid accipiat subiecta à parte deinceps  
Illa mali, ingenio nobiliore caves.  
Hinc tibi quere referat, meditatur Præmia Pallas:  
Præmia Militie digna labore tua.

### ALIUD.

Dum quibus humanos sensus animumq; Catarrhos  
Consuērit tenebris involuisse probas:  
Ecce tuus, pariter monstras, quam sensus & alta  
Mens à defluxus impete tuta sient.  
Sic quisquis Theseus certam tua fila sequetur  
Normam, à defluxus impete tutus erit.

Gratulabatur meritò

Elias Geiselbrunner Augustanus  
Medic. stud.

### I I I.

Musarum decus es DE ETZI, doctæq; MINERVA  
Fulcrum, dum scandis pulpita docta virum.  
Arma canes, Clarijsq; in castris bella subibis;  
Verum SALTZMANN O Praeside VICTOR eris.  
Intrepidus

*Intrepidus quare scandas nunc Palladis arcem,  
Doctrinæq; dabis publica signa tua.*

*Macte vir, ingenio cumulate augescere perge,  
Sic re, sic studiis, nomine, clarus eris.*

*boni affectus ergò ponebat*

*Jacobus Thaumander Cörlino-  
Pomeranus SS. Theol. stud.*


### I V.

*Q*uamvis doctorum multi sint, macte JO ANNES,  
Carminibus blandis quietua facta probent:  
Laudibus abstineo tamen hand celebrare trophæum,  
Victis quod portas, hostibus ipse tuis.  
A teneris nam dum clarijs luctaris in arvis,  
Et versas doctos sedulitate libros:  
His nec contentus, nunc aurea scripta Galeni,  
Et simul Hippocratis, nocte dieq; legis.  
Hinc animus tibi nunc celsam ascendisse Cathedram:  
Præside S A L T Z M A N N O, frater amande, tuo,  
Gratulor: ac Deus ipse tuos ut dirigat actus,  
Hacq; frui longum det tibi luce, precor.

*Φιλαδελφίας χάριν accinebat*

*Joannes Kislingius Zittavia-  
Lusatus Med. stud.*






00 A 6436

ULB Halle  
004 931 300

3



KD 18



# Farbkarte #13

B.I.G.  
Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Centimetres  
Inches

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

STI, DEO, DUCE  
**IONUM**  
E SPECIALI  
CURATIONE  
Oris humanæ:

R H O

M  
IDIO  
gentissimi Viri  
**RUDOLPHI**  
MEDICÆ DOCTO-  
riissimi, Inclytæ Argentoratensis celeberrimi,  
i observantia  
uendi.

suræ submittit

us TORGÉN-  
ICUS,

artio.

**DORATI,**  
WYRIOT.

DC. XX.